Lettre de Pomeran (Laurent) écrite de Bourges à l'attention de Nostradamus (Michel de Nostredame, dit) à Salon-de-Provence, le 4 novembre 1559.

135
~~64~~ 121

ce la table a pomerany etoit medecin

LAVRENTII POMERANI EPISTOLA

AD MICHAELEM NOSTRADAMVM

Medicum et Mathematicum Incomparabilem

a Salon de Craux

voici de Lastrologie toute pure

S.

Clarissime vir, jampridem mihi negotium injunctum est ex Germania quod per literas tibi exponerem, sed defecit mihi hactenus omnis mittendi occasio, rarissimé enim inveniuntur qui huc ad vos iter faciant. Itaque cum forte fortuna loquerer cum viro optimo et doctissimo, D. Liparino Medico in sermonem de Mathematicis disciplinis incideremus, ac de te percontarer, ostendit mihi ~~γενεθ~~ γενεθλιολογίαν filij sui a te expositam sermone gallico, qua nihil gratius sané aut jucundius mihi ostendere potuisset; petij ergo ab eo ut me de civitate tua doceret et commodam mittendi ~~rationem~~ literas rationem si quam haberet, subijceret. Quod tamen difficulter fieri potest, quia pauci huc degunt studiosi Provinciales. Itaque visum fuit ut Lugdunum ad tuum Typographum mitterem literas meas. Porro negotium quod ad te scribere rogatus sum tale est. In Germaniæ superioris Comitatu Tyrolis vir quispiam nobilis et Metallicarum fodinarum dominus habitat, studiorum Mathematicorum imprimis amans, omniumque eorum qui ea profitentur et docent, qua de causa ipse quoque domi suæ eximios Mathematicos triennio et amplius fovit. Is incidit in tuas Prædictiones Astrologicas, et ob certitudinem earum imprimis te venerabatur animo suo, cupitque ut

BIBL AIX MEJANES

de sua nativitate, quam ad me misit, tecum agam si —
sibi liceret per otium et occupationes exponere tuo more
ex Astrologica doctrina hos articulos.

Primò ex doctrina directionum de fortuna rerum Metalli=
=carum his annis 1560. et sequentibus aliquot prout vides vitam
ei prorogari. Nam in fodinas Metallicas multa impendit
jam aliquot annis.

Secundo de honoribus et dignitatibus ad singulos annos
quid futurum speres.

Tertio de valetudine, fortuna et incommodis.

Hos articulos si explicatos habuerit, (nisi tu ex arte
aliquid praeterea monendum putes) scribit et mihi mandat
ut honestum tibi honorarium mittam, et hoc tam certo —
faciant ut ego maxime amo has artes, et ut viro. Itaque
amanter a te peto ut mihi fidem habeas, et nervos tuos
intendas, ut ego huic viro optimo satisfecisse videar, non
dubitabis quin tibi ex civitatibus Germaniae opulentissimis
et ex nobilitate praecipua plus commodi possim procurare
si placet et non molestum tibi fuerit per occupationes tuas.
— hoc enim spes excipio. Quod si Lugduni habueris notum
aliquem cui litteras ad te proferendas mittere possim,
rogo eum admoneas, ut saepius ad te scribam, et —
diligentius quam nunc facio in spem incertam et eventum
dubium, longe enim absum a te.

Tempus natalitium istius domini est Anno domini
1510. Maii die 10. horis a meridie 18. minutis 43.
tempore ab Astrologis per accidentia rectificato; Sub
Altitudine Poli 49. Grad. 20. scrupulorum primorum
in Germania.

BIBL. AIX MEJANES

Rogo ut fundamenta iudicii, id eſt, motus diligen=
=ter annotes. Bene et feliciter Vale, vir doctiſſime, et si
quid mihi reſpondere velis, id rogo ut vel Lugdunum
miſſas ad mercatorem meum Cristofel Craft mercato=
=rem Germanum, vel Bituriges ad Dominum Liparinum
Medicum. Data Biturigibus die 4. Nouembris Anno
domini 1559.

T. Excell.

Addictus.

Laurentius Pomeranus.

BIBL AIX MEJANES

138
124

140
126